

IN TERTIUM ET QUARTUM
LIBROS REGUM
PROLEGOMENON.

Duo postremi Regum Libri olim apud Hebræos perpetuâ contextûs serie juncti in unum singularem coalescebant; sed cum prolixior videretur Liber, ideo successu temporis Judæis ex uno duos reddere, bipartito Opere ad nostram imitationem visum est. Priori parti nomen mansit: *primus Regum*; alteri inditum: *secundus Regum*; apud Septuaginta verò inscribuntur *tertius & quartus Regum*. Origeni laudantur sub nomine *Librorum Regum*; quamquam à Judæis in fronte Operis posita animadvertit priora verba Textûs tertii Libri *Vammelech David* (a). Ex qua Origenis relatione duo colligimus: 1. Ambos hosce Libros unum adhuc constituisse in Exemplaribus Hebræis. 2. Nondum apud Judæos inscriptum Opus Libri Regum. Ipsa etiam S. Hieronymi ætate ex quatuor Libris Regum Judæi duo tantum consistuebant (b); sicut & in hodiernis Hebræicis Bibliis duo isti postremi perpetuâ Textûs serie junguntur; quamquam ad initium quarti novæ circæ marginales capitulis recensendis apposita sunt, sicut & in suprema paginarum ora scriptum legitur: *Primus Regum*, & deinde *secundus Regum* (c). In Græcis vetustis Scholiis animadvertitur (d), correctissima Septuaginta Exemplaria eundem, quem nos, terminum secundo Regum Libro constituere, ducto tertii exordio ab historia Abisag-Sunamitidis; sed Diodorus & Theodoretus post Davidis obitum instituant.

a Origen. apud Euseb. Præp. l. 6. c. 11. Et apud eundem Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c. 25.
b Hieron. Prologo Galeato Tertius sequitur Samuel, quem nos Regum primus, & secundum dicitur Quartus Malachim, qui tertio, & quarto Regum volumine continetur.
c Vide Bibl. edit. Rabinc. Venet. impressarum a. 1564.
d Vide nov. edit. Hexapl. t. 1. pag. 348. 349. & Theodoret. 9. in 3. Reg. p. 299.

Utriusque Libri Author ignoratur; sicut nihil magis quam evidentia desideratur. Sunt qui Davidem rerum à se gestarum Scriptorem credant, cui sanè historia in ipso tertii Regum exordio finis imponitur. Malunt alii variis totum Opus Scripatoribus tribuendum, uti Prophetis Jeremiæ, Isaie, Regi Ezechia, quorum singuli coævam scripserint historiam. Laudant in eam rem illud 2. Par. 32. 32. [e] *Reliqua sermonum Ezechia, & misericordiarum ejus scripta sunt in visione Isaie filii Amos Propheta, & in Libro Regum Juda, & Israel*. Leguntur etiam capita quædam in Isaia (f), & Jeremia (g), quæ simul recurrunt in quarto Libro Regum, unde conjectura ducitur, ambo hæc unius esse ejusdemque Scripatoris fetum genuinum.

Nos verò in ea sumus persuasione, ea quæ apud Isaia de historia Ezechia leguntur, alienâ manu & ex quarto libro Regum suppleta fuisse, quemadmodum in Commentariis in eundem Prophetam demonstrabimus. Nec tamen facile negaverim, scripsisse Jeremiam Commentarios quosdam Regni Ezechia, juxta ac in Paralipomenis expressum legimus. Sed historia illa, sicut & Annales Regum Juda, & Israel, in eodem Scripturæ loco laudati, intercederunt. Idem ferendum judicium de postremo capite Jeremiæ è postremo quarti Regum deducto. Historiam refert enim nullâ contextûs serie cum superioribus ejusdem Prophetæ continuatam. Quin & ante illam hæc leguntur verba: *Hucusque verba Jeremiæ*; quibus finis impositus Operi hujus Prophetæ, & alienum inde continuari satis aperte demonstratur.

Vulgò creditur Esdras historiam hanc scriptis redegeisse; namque unius ejusdemque Scripatoris Opus esse multis argumentis demonstratur. 1. Stilo exarata est constanti; perpetuæque rerum gestarum series per totum Opus regnat. 2. Scripatori ad manus erant veteres Commentarii, quos & laudat frequenter, & lectores non raro ad illos remittit, professus se compendio retulisse, quæ fusiùs ibi narrantur; unde phrasæ non raro occurrentes: *Reliqua verborum Græc. scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Juda, vel Israel*. 3. Scribebat vel ipsâ stante captivitate, vel post; quippe qui in postremo capite quarti Regum illam apertissime exprimat. Alii etiam narrat (h) eâ ætate adhuc decem Tribus in Assyria captivas teneri, pœnas luentes criminum, & Oracula Prophetarum eâ de re implentes. 4. Nonnulla observat quandoque, sicut & repetit summam, quæ omnia indicia sunt Authoris non coævi, sed qui veterum monumentorum fidem secutus, quæ scribat priùs meditatur. Vide 4 Reg. 17. 6. & c. usque ad 24. ubi post narratam everisionem Regni decem Tribuum per Salmanasarem, sicut & translata in Assyriam eisdem Tribus, ubi suâ etiam ætate captivæ tenebantur, observat populum illum refractarium jam inde à facta è Juda divisione, nunquam ab idololatria, cæterisque criminibus cessasse; frustra summissos identidem à Deo Prophetas, quorum persuasionibus ad saniora consilia revocarentur. Quare, inquit, cum in

h 4. Reg. 17. 23.

impietate animùm haberent obfirmatum, neque sceleri modum aliquem imponerent, id commiserunt, ut tandem rejecti à Deo in potestatem hostium permitterentur; hinc unum tantum in Palestina Regnum Juda Hebræis mansit. Sed, addit, nec Juda melior fuit in Deum fides; namque pessimum Israelis exemplum secutus, meruit tandem, ut simili pœnæ subiceretur; ex quo factum ut Israelitarum genus omne Deus tandem abjecerit. Hæc sanè omnia meditata sunt Authoris, post captivitatem Juda, & decem Tribuum scribentis, cui tota rerum catastrophes sub oculis versaretur. 5. Scripator ille munere, sacerdotis, quantum conjicimus, fungebatur; quare historiam politicam aliquanto negligens, sicut & breviori tradens compendio ea, quæ expeditionum granditatem, militum virtutem, atque penitentem politicam artem relevarent; fusiùs prosequitur ea, quæ ad Templum, Religionem, carernias, Solemnia, cultum Domini, pietatem Principum, constantiam Prophetarum, punitionem criminum; & retributionem Justorum pertinent. Gloriæ domus David studet imprimis. De Regibus Israel veluti per transeantem & in decursu agens, curas suas omnes vertit rebus Regni Juda narrantis. Hæc observatio digna in eo Opere occurrunt, quantum ad capiendam de Scripore conjecturam pertinet.

Porrò characteres hi omnes nemini meliùs, quam Esdræ conveniunt, cui sanè nullus non quadrat; quare Operis Scripator non improbabiler haberi potest. Fatemur quidem, occurrere quædam ab ætate Esdræ aliena, uti quæ 3. Reg. 8. 8. narrantur de Arca Domini adhuc in Templo manente; quæ 3. Reg. 12. 19. leguntur de separatione duorum Regnorum Juda, & Israel, quasi utraque adhuc subsisterent; sicut & 3. Reg. 6. 1. 38. duo mensium nomina Sif, & Bul occurrunt; neque Hebræa illa, neque Chaldaica, ac tandem à sermone Esdræ ætate vernaculo aliena. Tandem Au-

thor suæ ætatis historiam scribere videtur, ac raro personam coævi Scripatoris deponit. Quid hæc porro ad Esdræ?

Sed hæc facile conciliantur, si ita digestum Opus ad Esdræ dixerimus, ut non raro ex veteribus monumentis non historiam tantum, sed & verba desumpserit, atque in suum Commentarium transtulerit. Quæ indoles est sinceri Scripatoris, & veracitatis argumentum apertissimum; tantâ enim religione fidem historiarum in veteribus monumentis narrata servavit, ut ne verba quidem immutare sustinerit.

Tertius Liber Regum historiam complectitur 119. annorum, nempe ab A. M. 2989. usque ad 3108. Post narratum ibi Davidis obitum, & Regni Salomonis historiam, fusiùs exponuntur ea, quæ ad constitutionem Templi, ædiumque Regalium pertinent; sicut nec silentio promittitur mira Regis sapientia, cum regis planè magnificentia conjuncta; quemadmodum & lapsus sanè miserabilis. Secundum hæc, Regnum sub Roboamo diffinditur, decem Tribus Jeroboamo adherentes, Idololatriæ se dedunt. Juda, Benjamin, & Levi in fide Roboami manserunt. Succedit invasio Sefac Regis Ægypti, qui Templum diripit. Nec Jeroboami res quietas esse permittit Baasa, Regnum Israel occupans. Excidium Baasæ Jehu prædicit. Achab conjugem sibi adfiscit impiam Jesabelem, totusque in persecutionem Prophetarum vertitur. Sub eo Rege Elias apparet, gloria miraculorum in toto Israele clarus. Jesabelis furorem declinat; regreditur tandem, atque trucidandorum Pseudo-Prophetarum Baal in Monte Carmelo populo est author. Benadad Rex Syriæ copias in obsidionem Samariæ adducit; sed mox reducere cogitur. Nabot iustus impiæ Jesabele moliente neci traditur. Achabus commissio cum Syris pralio, mutatis licet vestibus ut lateret, gravi tamen vulnere confoditur. Hæc summa tertii Regum.